

1771.10
A8
DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA

72.

DE
**FINIVM REGVNDORVM
IVDICIO.**

QVAM
DIVINA FAVENTE GRATIA
EX DECRETO ILLVSTRIS IVRECONSULTORVM
ORDINIS
SINE PRAESIDE
PRO GRADV DOCTORIS
IN VTRQVE IVRE LEGITIME CONSEQUENDO
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI
IN AVDITORIO IVRIDICO COLLEGII ANSELMINI

DIE XIV. OCTOBR. MDCCCLXXI.

SUBMITTET

A V C T O R
HERMANNVS PAVLVS ZIEGLERVS
ERFURTENSIS.

ERFORDIAE,

TYPIS HENR. RVDOLPH. NONNI^I, ACAD. TYPOGR.



• 55

DE REFORMATIO MAGISTERIUS VINDICAT

DE

RENUM REGANDORVM IUDICIO.

EX PECERITO HISTORIAS IUDICIOSA TONIA
DIVINAE FAVORES GRATIA
CENSU

SINE TRAHIDE

PRO ERVADA DOCTORIS

IN AUDITORE LIBERIS IUDICIORUM CONSIDERANDO

PARTICO IUDICIO EXAMINI

IN AUDITORIO IUDICIO CONTRARI VNSPESUM

ET IN DECRETO DECREE

VERITATIS

ALEATOR

HERMANAS LADAS SIEGELERAS

VERITATIS

CONCORDIA

TUTIS HERIBRUDORVM NOMINIS ET CIVICIS

VIRIS ILLVSTRBVS, MAGNIFICIS,
EXCELLENTISSLIMIS, CONSULTISSLIMIS,
AMPLISSLIMIS,

DN. ERNEST. GVILIELM.
STRECKER, ICTO.

CIVITAT. ERFORDIENS. PRAETORI, ELECTORALIS
REGIMINIS CONSILIARIO PRAESVLI, REL.

DN. PETRO HENRICO
HEILAND,

CONSILIARIO REGIMINIS, SENATVSQVE ERFORDIENSIS
CONSULI SVPREMO.



DN. IOANNE CHRISTO-
PHORO SPITZ, ICTO.

CONSILIARIO REGIM. FACULT. IVRIDICAE ADSESSORI,

SENATVSQVE ERFORD. CONSULI

SUPREMO.

DN. BERN. ALEXAN-
DRO STRECKER, ICTO.

CONSILIARIO REGIM. CIVITATISQVE ERFORDIENSIS

CONSULI PRIMARIO.

DN. IOANNE HENRICO
GENAV,

ELECTORALIS REGIMINIS CONSILIARIO.

PATRONIS ATQVE FAVORIBVS
AD CINERES VSQVE PIE COLENDIS,
VENERANDIS &c. &c.

DISSERTATIONEM HANCCE IN AVGVRALEM,
PRIMITIARVM STVDIORVM SVORVM
AD INSTAR

SUBMISSO VOVET,
SACRAMQVE IVBET ESSE,
ET STVDIA, SVAQVE OMNIA VLTERIORI
PATROCINIO ATQVE FAVORI

COMMENTAT

HERMANNVS PAVLVS ZIEGLERVS.



PRAENOBILI AC DOCTISSIMO DOMINO

HVIUS DISSERTATIONIS

AUCTORI

AMICO AESTVMATISSIMO

S. P. D.

IO. IVSTINVS WEISSMANTEL,

Z. V. D. ET P. P.

Nosti, AMICE AESTVMATISSIME, quod salutem publicam,
legem nostram supremam, si ad conatum haud procedat me-
ditatio indefessa, si non humanae societati, sed nobis tantum natos
esse, ex vita semper contemplativa demonstremus, ne adlectari qui-
dem possit. Hoc ipsum igitur, cum sit cauſa praefentium speci-
minum TVORVM, omni aplausu digna reddit illa; & cum dexte-

ritas



ritas virtusque TVA, plus vna vice innotuerit mihi, non dubito
quin labores TVI, proprio Marte suscepti, eruditorum applausus
reportent, largamque honoris messem, praemiaque opima exinde
TIBI augurare quo. Cæterum sincero animi. TIBI deditissimi ad-
fectu, TIBI appreco, vt in omnibus TVIS prosperrimis successi-
bus in posterum fruaris, & vt in reipublicae justitiaeque emolumen-
tum, ad honores proueharis dignissimos; cumque de TVA erga
me voluntate in posterum non dubitem, a me vt omnia officia ex-
peches, quae ab homine amicissimo expectari possunt, TE etiam at-
que etiam ~~oro~~. Vale.





Q. D. B. V.
DISSERTATIO INAVGVRALIS IVRIDICA

DE
FINIVM REGVNDORVM
IUDICIO.

*Est modus in rebus, sunt certi denique fines:
Quos ultra, citraque nequit confinare rectum.*

HORAT.

CONSPECTVS.

§. I. **P**roœmium.

Judicium Finium Regundorum pertinet ad iudicia diuisoria, &

§. II. horum judiciorum fundamentum,

§. III. quid, si unus rem communem possederit?

§. IV. quid in hac diss. proprie tractatur simus,

§. V. Finium definitio, & quo modo confundi possint.


§. VI. In hoc iudicio præsupponitur confusionis existentia & possibilis.

§. VII. Quando hæc actio concedatur,

§. VIII. Quibus concedatur &

§. IX. contra quos.

§. X.



- §. X. Hoe judicium est duplex & quare?
§. XI. Lex principalis confusionem tollendi.
§. XII. XIII. Fines regere quid, & quomodo?
§. XIV. XV. XVI. XVII. Iudex quis hodie esse possit in hoc iudicio, & quidei obseruandum.
§. XVIII. Fines nouos quando confituerre liceat!
§. XIX. Quis Mensori debeat soluere mercedem!
§. XX. XXI. Fructus, quales & quando restituantur?
§. XXII. de pœnis Romanorum in confusionem finium,
§. XXIII de pœnis quæ hodie infliguntur,
§. XXIV. XXV. quando huic actioni præscribatur.



PRO-



PROOEMIVM.

Circumspicienti mihi, quam nam differendi materiam desumereim, inter reliquas, quæ obuenerunt, illa tandem aptissima mihi multis ex caussis visa fuit, quæ finium regundorum judicium pertractat. Venerandissimus enim Pater pro dissertationis doctissima suæ, quam Argentorati ^{ao. 1110} CCCXXXVII. sine Præside defendit, objecto habuit materiam illam, quæ de *Arbitris compromissariis* (Schieds-Nichten) agit. In hac autem differentiam inter arbitros illos, qui a Iudice, & illos qui a priuato constituantur, solide monstrauit. Horum, scilicet priuatorum, iterum duo genera esse docet; alii enim ex juris dispositione, alii ex voluntate partium libera creantur. Et quidem posterioris generis arbitri, in pronunciando sententiam, vel aliqualem juris obseruant ordinem, vel non. Quum vero in pertractanda nostra materia quoque sermo sit de arbitris, quos certo

certo respectu voluntarios, alio necessarios, (qui que etiam ordinem juris juxta principia justi atque iniusti obseruare tenentur,) dixeris; sufficientem mihi causam, hanc omnibus aliis præferendi materiam subfore, existimo. Me saltim non omni penitus destituta ratione in eligendo hoc argumento, æquis quisque arbiter facile largietur.

§. I.

Pertinet autem judicium & actio finium regundorum, ad Iudicia diuisoria, atque primum inter ea obtinet locum. *IUDICIA DIVISORIA sunt illa, in quibus ad divisionem rei habentes communis agitur.*

§. II.

Principale itaque fundatum harum actionum, nitor in communione, quæ circa bona de quibus sermonem facimus, usque hue extitit.

Quum vero ad continuandam hanc communionem nemoinuitus possit adstringi, (a) siquidem rara plerumque est concordia inter eos, qui rem tanquam communem possident, & sèpsum, imo sèpissime indomitæ solent esse turbationes & rixæ illorum, præsertim, quando de rœ meo & rœ tuo venit sermo; *Prætor ad euittandas & auertendas huiusmodi rixas* (b) (quas in maiorem calamitatem non raro increscere videmus, quum iracundiam hominis nullos dignoscere limites frenaque recusare & mordere, quotidiana nos doceat experientia), juris naturalis æquitate conuictus, ad dividendas res communes actionem concessit, quæ vel confusione finium, vel hereditatem (c), vel denique rem singularem (d) quendam respicit.

(a) L. 5 C. communis dividendo.

(b) quæ præterea etiam malum administrationis exitum producent.

(c) scil.



5

(c) scil. pluribus collective delatam.

(d) hoc vero non pertinent debita actua, quippe quae ipso jure
sunt divisa.

§. III.

Interdum vero fieri quoque potest, ut unus ex condoninis, per tempus quoddam, rem communem administraverit solus, cæteris absentibus vel etiam presentibus, ideoque tamquam administrator rei alienæ, ex suo etiam facto obligatus sit; quo casu administrationis sua rationes ut reddat, deque damnis respondeat, a condoninis potest cogi. Itaque præter jus reale, quod in judicis divisoriis persequimur, etiam personales praftationes, quæ rationum redditionem, resarcitionem damni, acceptorumque fructuum restitutionem respiciunt, vrgere possumus. Vnde & hæc judicia mixta vocant, (e).

(e) L. i. h. t. L. 22. §. 4. famili. ercise. L. i. comm. diuid.

Hæc omnia vberius exponam infra.

§. IV.

Sed quum de **FINIBUS REGVNDS** agere nobis mens sit, diæterritatem fundamenti & actionis reliquorum mediorum a communitate recedendi, amplius disquirere, instituti nostri rationem esse non existimamus. Ad finem igitur nostrum reuerti, & hic fines quid sint, ante omnia demonstrare, necessum habemus.

§. V.

Sunt autem **FINES** nihil aliud, quam *extrema latera*, quibus spatium, circa quod jus nobis quoddam competit, determinatur. Quum vero sèp[er]ius, tam vicinorum nostrorum iniurie, quam etiam alia ratione v. g. aquarum iniuria fieri soleat, ut huiusmodi confundantur fines, & tamen vniuersiusque intersit, integra sua possidere bona, nullum aliud refugium est, quam *actio FINIVM REGVN-*

A 3

DO-



DORM (f), qua agimus ad id, ut confusio tollatur, & damnum ex confusione datum resarcitur.

(f) qua & finalis questio & finale iurgium vocatur. L. II. h. t. L. 4. §. 6. C. h. t.

§. VI.

Ex definitione huius actionis prono alueo fluit, confusionis finium existentiam esse presupponendam, alias enim si illa confusio vel non adest, vel ex rerum circumstantiis, (aut ex legis dispositione,) adesse non potest, judicium finium regundorum non habet locum, eiusque cessat actio.

§. VII.

Datur ergo haec actio iis tantum, qui praedia habent confinia & quidem rusticā, in urbanis vero non inuenit locum (g), quippe qua parietibus satis distinguuntur (h). Sed hic bene distinguendum venit, utrum per flumen, vel riuum, vel viam a se inuicem separantur praedia. Si flumen intercedat, huius actionis efficaciam peremptam esse omnino puta (i), non æque si riuum interfluit (l), huius enim alueus quum facile possit mutari, facilissime quoque fines confundi & collidi possunt. Si vero via illa discernit, & vici-nus v. c. fossam fadiendo impedit, quo minus per illam vehi pos sit, & propter ea in meum fundum vehatur, non haec (m), sed alia, scil. viæ receptæ (n), actio locum habet.

(g) L. 2. L. 4. §. 10. h. t. GETTINGER Lib. 2. Cap. 8. no. 1.

(h) L. 4. §. 10. h. t.

(i) L. 4. §. 11. L. 5. h. t. que LL. addita sequenti 6ta. affatim monstrant, quando huic actioni locus sit, nec ne.

(l) L. 6. h. t.

(m) L. 4. §. 11. h. t.

(n) L. fin. C. de via publica.

§. VIII.



7

§. VIII.

Rite autem instituitur hæc actio

A.) non solum a dominis directis (o) jure dominii, sed etiam aliis
utiliter (p) competit, qui non proprietatis, sed aliud jus in re
habent, veluti *v&fructuario & creditori hypothecario* (q), *em-*
phytentia & vasallo (r), & quidem non ad fundorum tantummo-
do, sed ad adhærentium quoque *v. g. jurisdictionis distinctio-*
nem, impensarum & fructuum post item contestatam percepto-
rum computationem (s), eiusque, quod interest, *præsta-*
tionem (t).

(o) dominium tamen Actor & hic probare non tenetur, etiam pe-
tente Reo, si modo fundum possider, cum quilibet possessio præ-
sumptionem justæ possessionis, præ se ferat, & in dubio etiam
pro illo pronuncietur. §. 5. I. de interdi&t. SCHNEID. de a&t. fin.
reg. no. 6.

(p) utiliter eam quoque institui hodie obseruauit, quando *limites*
Jurisdictionum & Imperii dirimendi sint, *busivs ad L. i. h. t.*
no. 5.

Præterea etiam utiliter hæc actio competit, quando in urbe de hor-
torum latitudine controuertitur L. 4. §. 10. h. t.

(q) L. 4. §. 10. h. t. SCHNEID. de a&t. fin. reg. no. 6.

(r) II. Feud. 8. §. Rei autem: de inuest. de re alien. fact. cod. 43.
de controv. intervassall. & alium de benef.

(s) L. 4. §. 2. h. t. infr. §. diff. 21.

(t) L. 4. §. 1. h. t. SCHNEID. I. c. no. 7.

Obs. Nullo autem modo conceditur hæc actio sociis contra se inuicem.

§. IX.

B.) Etiam instituitur actio hæc contra omnes, qui fines agrorum
confusos, vel etiam malitiose turbatos tenent. Nec interest,
vtrum plures contra vnum, an vnum contra reliquos, hanc actio-
nem instituere velit (v), quamuis hic etiam minimum partem
bono-



bonorum communium possideat, reliqui tamen hoc judicium elidere non possunt. Contra tertium vero, qui facto suo illicito *v. g. limites efficiendo* fines turbare conatus, hæc actio non datur (x), sed criminalis, quæ etiam datur contra confinem, qui dolose terminos mouit (z).

(v) L. 4. §. 8. h. t.

(x) L. 1. & 2. h. t.

(z) L. 4. §. 4. OETTINGER *de jur. limit.* Cap. 8. no. 28. & Cap. 9. per tot.

§. X.

Ex iis quæ haec tenus tradidi, patet & facile potest coniuci, duplex esse hoc judicium, quia uterque confinium & actoris & rei partes sustinere potest (aa), uterque etiam suos, quos prætendit fines probare tenetur (bb), (neutquam vero dominium seu jus in re per §. VIII.) Interea autem is pro actore habetur, qui primum Indici libellum obtulit, & si de hoc non constet, sorti committenda res est. (cc)

(aa) L. 10. h. t. & OETTINGER Lib. 2. Cap. 8. no. 6. qui no. 7. adeo dicit, illos juramentum calumnias dupliciter, scil. tanquam *Rei & Actores* præstare debere; cuius autem dictioris nulla obseruantia est.

(bb) arg. L. 21. in fin. de probat. C. 3. X. de probat.

(cc) L. 13. & 14. de judiciis OETTINGER l. c. no. 9.

§. XI.

Jam vero si judicii huius originem, prouti par est, paullo aliis inuestigamus; tunc præter Solonis legem, LLbus jam XII. tab. cautum fuisse legimus:

quod si IVRGANT ADFINES, FINIBVS REGVNDIS, PRÆTOR ARBITROS TRES A DICITO (dd).

Quid

Quid quod! originem huius judicij vetustissimam esse scimus, cum Numam Pompilium statim ab Urbe condita, consecrato Deo Termino, jura finium religione quadam munivisse constet.

(dd) Cuius legis MARCILIVS in comm. ad XII. tab. aliam nobis suppedit formulam dicendo: *Si JVRGANT VICANI, PRAETOR FINIVS REGVNDIS ARBITROS TRIS DATO.* Et HOTOMANNVS sententiam huius L. hanc fuisse commemorat; vt, *si vicini inter se jurgant, finibus regundis, arbitros tres darent, etusque totius rei jus, arbitriumque permitterent.* Ceterum hoc loco inter verbum, *adfinis, confinis, vicinus & vicinus nullum plane discrimen esse putat.*

§. XIII.

Modo commemorata L. decemviralis itaque de eo loquitur, quomodo jurgium, sive actio haec finalis, per quasque personas, dirimenda & componenda sit. Dicit enim: *FINIBVS REGVNDIS, & hic quid REGERE denotet, prius adnotandum venit.* Est autem *REGERE FINES, confusione, que circa fines se exerit, tollere;* quod quidem ex definitione Judicij Finium Regundorum per se patet; siquidem illud est *actio competens illi, cuius fines confusi sunt, aduersus vicinum ad id, ut confusio per determinationem finium tollatur, & dannum confusione datum ex aquitate reparetur.*

§. XIII.

Ad finiendum vero jurgium inter vicinos, quod finium causa ortum sit, hoc judicium (per §. XI.) arbitris committebatur, quorum lex nostra tres adhibere jubet (ee). Hic vero ternarius

B

nume-



numerus per L. Mamiliam postea in unitatem contractus est, ita ut vnum sufficere statuerit, quodque Praetori etiam placuit (ff). Et ex hac mutatione primo intuitu jam apparet, irritam esse eorum sententiam, qui verbis adeo adhaerant, ut contendarent; necessarios fuisse tres, propterea, quod si duo forte tantum forent, maiora vota existere non possent, quae tamen necessitas exigat ad diuidandam rem & preferendam sententiam (gg). Sed utrum res ita se habeat nec ne, paulo inferius quoque videndum.

(cc) CICERO Lib. 1. de LL. vocantur quoque *Aruales sodales* sive *Aruales College*, qui a ROMULO instituti, ideo arualei dicti fratres, quia sacra publica faciebat propterea, ut fruges ferrent arua. VARRO de Ling. Lat. Cap. 15. Quamuis igitur horum officium in eo potissimum erat positum, ut sacrifcii suis fecunditatem messis procurarent, eos tamen de definiendis ac describendis terminis, qui apud veteres Romanos *sacer* habebantur, sententiam ferre debuisse, ex veteri glossa probat CYACIVS L. 2. Observ. c. 5.

(ff) CICERO Lib. 1. de LL. conf. L. 44. de rec. arbitr. CYACIVS Lib. 5. Obs. 21.

(gg) interea videri potest MARCILIUS & RITTERHVSIVS in comm. ad LL. XII. tab.

§. XIV.

Hodie quidem quilibet Judex, qui de ciuibus causis cognoscere potest, etiam de finibus judicare omnino admittitur; verum non solum effato rem dirimere poterit, potius necesse est I, ut judex ante omnia eo respiciat, an veteres fines terminique inuestigari queant,

an

an non. Qua de causa inquirere debet sedulo, anne ad sint monumenta & signa finalia certa quidem, quae agros confines a se in uicem separare polleant (hh). Sunt autem talia, *lapides oua*, ut dicunt, *habentes* (ii), *arbores*, *columnae*, (Marksteine, Lochbäume, Bannsteine & apud Saxones, (Mahlsteine, Mahlbäume &c.) Et si quosdam judex inuenisse putat fines, illos restituit, quatenus probari possunt (ll).

(hh) L. II. ff. h. t. & CALVINI Lexicon quod longum nobis tradidit Catalogam de iis rebus, per quas olim fines agrorum determinationem acceperunt, & MYNSINGER Cent. 6. Obs. 25. seqq.

(ii) ie. eiusmodi lapides, qui in imo habent quedam signa, quae illos ab aliis fecerunt, ad quod præsertim opus esse contendunt 1) vt inferius iisdem lapis gaudeat signis, quibus supra 2) vt septus sit gramine (begrast; beraset) & hoc quidem ideo, vt exinde possit perspici, vtrum jam longe aut non ita pridem ibi sit repositus. 3) vt oua habeat, h. e. tales res, quae a terra neque consumuntur, neque incrementum accipiunt v. c. *Carbones*, *Tegulae*, *Tesfa* &c.

(ll) interdum quoque potest euenire, vt alter vicinorum asserere cupiat: se scire fines, tunc etiam indicere illos eum oppoter, probatioque illi incumbit omnis, alter vero, nequidem exprime-re eos tenetur.

§. XV.

Sed in hoc non Judicis labor omnis quiescit, sed opus & necessarium est, vt A) quoque inspiciat *Documenta maiorum*, eaque perscrutando videat, an in illis fines sint descripti, legitimoque modo constituti. Etsi haec deficiant, tunc B) senes aduocare & audire testes omnino est permisum, quamuis hi de auditu tantum deponere va-



leant (mm). Tali enim in causa, ubi de re agitur, quam neque instrumentis probare possumus, nec eius originem & existentiam vita hominis attingit, testimonium de auditu sufficit.

(mm) WERNHER P. 4. Obs. 37.

§. XVI.

Quo magis vero, his omnibus deficientibus, satius elucescant omnia II, *inspectione oculari* (Besichtigung, Beaugenschemigung,) opus est, siquidem de confusione quidem finium, sed non de termino insimul constare possibile est. Haec vero vel ad unius vel alterius partis instantiam, vel si periculum adsit, & vicini hostili manu forte contendere inceperint, a Judice ex officio (nn) institui potest.

(nn) Quod quidem aliis in causis & casibus non simpliciter fieri licet, hic vero prater periculum, quod interuenit, interdum vilitas etiam suadet fieri; siquidem per inspectionem ocularem, litis ambiguati optime preuenitur, & omnia magis elucescent, (quapropter etiam apud veteres JCros *evidentia facti* nominata,) eaque in posterum etiam vilitatem suam praebet,

§. XVII.

Quam ob rem ut exacte siant omnia, Judex adhibeat *testes* & *arte peritos*, quales sunt *agrimensores* (Unterganger, Steinher, &c.) qui nisi in officio sint recepti, antea jurejurando speciatim sunt adstringendi; minutiasque per illos obseruari euret omnes,

omnes, in loco praesente. Præterea etiam *ichnographia* (Abriß) conficienda est, quam ad Acta deinde desumere consilii semper, necessitatis interdum est (pp).

(oo) in nostris territoriis decisa res est, siquidem hæc inuestigatio finium, s. ocularis inspeccio, quoad agros, qui ad Municipes nostros pertinent (im Weichbilde,) ab illis personis, quæ vulgo das Hegemahl constituant, eorumque agrimensore jurato, in pagis vero durch die Vormundschafft, institui debet per Decretum Regim, de ao. 1735. 1739. item de ao. 1746. vbi tamen potestas illorum, eo restringta est, ut tantum, nisi partes excipient iuste, inspiciant liigiosa loca & quomodo rem inuenient, ad Acta regitant, nullo autem modo cognitionem rerum liigiosarum, earumque decisionem & executionem, sicut antea, sibi vindicent, potius secundum instructionem der Zweyermanns-Cammer vivant.

(pp) LUDOV. Proc. Civil. Cap. 22, §. 6. RVLAND de commiss. P. 2. Lib. 3. C. 3. no. 1. Hoc enim deficiente, euenire potest, ut propter instructionem processus deficiem, lis per Judicis sententiam finiri non possit.

Obs. Necessario ichnographiam hancce requirit R. I. de ao. 1654. §. 51.

S. XVIII.

Denique III, si de veteribus nullo modo constat finibus, licet Judici, per geometras & agrimensores (qq) fines ponere nouos, suaque tandem auctoritate, secundum honestatem & aequitatem dirimere item, licet ob partis forte absentiam lis non contestata fuerit (rr). Et si forte propter loci inæqualitatem, vel propter veterum limitum incertitudinem, fines commode dirigi nequeant, tunc Judex

B 3

brevi



breui manu notos constituere; & si lis aliter finiri nequeat, unius agro aliquam partem detrahere, eamque alterius fundo adiudicare (ff), atque hunc ad aestimationem s. certam pecuniae summam alteri praestandam condemnare potest (tt).

(qq) quos necessarios esse puta, siquidem non Judici plane reliquitum est, talem actum in suum recipere arbitrium. Quod vero jura partium attinet, illi eriam sibi met ipsi, sine solemnitate & strepitu judicij, fines posse possunt pro lubitū secundum L. 2. h. t. Quod autem fieri O. P. nostra per Decret. de a. 1739. & 1746. ex ea ratione verius, quia per eiusmodi facta clandestina præterea, quod fraus immunitari potest fieri, variae confusiones, præsertim quoad catastra publica, oriuntur.

Cæterum, quum supersticio non tanta sit hodie, vt Deum Terminus colere religionis esse putemus, præter ea etiam interesse publicum aliud quid require videatur; judex non ita anxie curat spatium quinque pedum, quod ob anfractum Prætor respicere jussit! Que cum ita sint, non multa de his facere verba, optimum mihi visum est.

(rr) arg. L. 3. C. h. t. L. 8. §. 1. ff. h. t.

(ff) L. 2. §. 1. §. 6. I. de offic. jud. Qua quidem adiudicatione statim dominium transfertur. VLP. in fragm. Tit. 19. L. 17. de usurpat. §. 7. I. de offic. jud.

(tt) L. 3. h. t. Consilii tamen est, vt judex etiam hoc in casu, in sempiternam rei memoriam, instrumentum confici curet.

Præstat hic paucis tantummodo commemorare, alterum in partem mercedis condemnari, quamvis non simul conduxit agri.

agrimensorem (vv). (Ita disponit L. in not. adducta): Sed hic distinguendum nobis videtur; agrimensura & ocularis inspectio enim vel ex officio facta est, vel ynius partis instantia (§. XVI.). Hoc casu sumitibus petentis & impetrandis fieri debet, illo vero casu utraque pars suffert impensas. Quod si vero alterutra pars lesa fuerit, mensurari denuo debet (xx), &, si mensores dolum latamue culpam admisisse conuincantur, tenentur actione in factum (zz) & quidem omnibus, quorum interest, falsum modum renunciatum non esse (†).

(vv) L. 4. §. 1. in fin. h. t. OETTINGER de jur. limit. lib. 2. Cap. 8. no. 18.

(xx) arg. L. un. C. de error. calcul. SCHNEIDER de act. fin. reg. Et hoc in casu plerumque pars viraque suum mensorem sifit, nec raro euenit, vt hi, quamvis jurati sint, speciatim adstringantur jure iurando.

(zz) L. 1. ff. si mens. fals. mod. dixerit.

(†) L. 3. §. 1. ff. si mens. fals. mod. dix.

Quum vero in judicio finium regundorum, præterea, quod confusionem agrorum in confinio tolli petimus, etiam ad damnum resarcitionem agamus, (§. III. & V.) non inepte factum huius loci esse puto, quando, quod ad restitutionem fructuum attinet, eandem, quæ in materia de rei vindicatione obuenit, distinctionem sequamur. Fructus enim ex re aliqua percepti sunt vel ante, vel post item contestatam. Priori casu iterum secernendus est, qui bona fide fructus percepit ab illo, qui in mala fide fuit.

Ille



Ille omnes fructus tam naturales, quam industriales, quos consumit lucratur (α), & non nisi extantes reddere tenetur; hic vero non perceptos tantum, tam extantes, quam consumtos sed percipiendos (β) etiam *ie:* qui a petitore, si rem ipse habuisset, percipi potuissent, reddere tenetur (γ). Nec obstat si forte titulum habuerit, siquidem *et que* in mala fide est, qui rem alienam possidet, & titulum non habet ac ille, qui titulum quidem, est a non domino habet (δ).

(α) L. 36. de reg. jur.

(β) L. 22. C. de rei vind.

(γ) L. 62. §. 1. L. 33. de rei vind.

(δ) L. 10. §. 20. que in fraud. credit, nec obstat L. 17. C. de rei vind, CARPZ. 3. C. 32, def. 30.

S. XXI.

Posteriori vero casu, scilicet post litis contestationem, quum hac semel facta, quilibet possessio in mala fide sit constitutus, fructus perceptos, extantes & consumtos reddere uterque tenetur. (ϵ). Et si finito hoc iudicio constet, vicinum de alterius fundo quid surripuisse, ille non tantum de fructibus, sed de eo quoque quod interest, respondere debet (ζ).

(ϵ) L. 4. S. 2. h. t.

(ζ) L. 4. S. 1. & 2. h. t.

S. XXII.



§. XXII.

Restat adhuc quædam de peñis dicere, quæ sequuntur facinus, quod per confusione finium committitur; siquidem illud in delictum incitat, quod pro diuersitate rerum, graue aut leue potest esse. Per se autem patet, hic de confusione dolosa tantum sermonem esse, nec de illa, quam inopinato ortam postea approbavimus, quæ vero hoc non pertinet, siquidem scientia sine dolo, sed non dolus sine scientia, quæ supponitur, esse potest. Hic vero neque loci neque temporis esse existimo, Romanorum ius & leges poenale indagari, qui distinxerunt honestiores inter & inferiores, & hos ad metallâ sive opus publicum, illos vero ad relegationem condemnarunt (n). Præterea etiam statuerunt, quod irreptor agrorum si in lite superatus, tantum agri modum quantum adimere voluit & tentauit, amittat (o).

(n) L. 2. de term. moro. Imo DIONISIVS HALICARN. Lib. 2. antiquit. refert: Numam Pompilium capitisi poenam indistincte statuisse in violatores finium eapropter, quia sacrilegium in Deum, quem terminis praesesse dixerunt, committi credidit in verbis: QUI TERMINVM EXARASSIT, IPSVS ET BOVES SACRI SVNTO.

Aliam adhuc constitutionem legimus in L. Agraria. C. Caesaris, & D. Nerue, de quibus L. fin. ff. de term. mot. differit,

(o) L. 4. & 7. vnde vi & L. 4. C. h. t. quæ vero tanquam poena dupli in foris nostris non seruatur, sed abrogata est.

§. XXIII.

Hodiernum igitur usum in nuce quasi proponere & monstrare tantum mens est, & hic inter fines priuatorum fundorum,

C

&



& illos, qui territoriales sunt, regnaque a se inuicem separare valent, distinguere juuabit. Illi si confundantur, præter satisfactiōnem priuatam (S. XX. & XXI. *inductam*) poena etiam sequitur eum, qui factio suo confudit fines, quæ omnino arbitraria est, & secundum gradus dolis vel culpæ modo exasperanda, modo mitiganda est. Quando autem territoria confunduntur, hoc facinus, quod in *crimen læsa maiestatis* incidere & ad *effractionem pacis publicæ* referri potest, capitali peena (n) omnino coercendum esse puta. Neque haec criminalis ciuilem illam, quæ rei persecutoria est, permit & absorbet (o).

(n) C. C. C. art. 114. in verbis: welcher bößlich und gefährlicher Weiß ein Untermarkung, Rainung, Mahl oder Markstein ab: hauet, abihut oder verändert, derselbig darum peinlich, am Leib, nach Gefährlichkeit, Groß, Gestalt und Gelegenheit der Sachen und Person, nach Rath, gestraft werden solle. & LEYSER spec. 114. m. 6. principaliter vero videndus OETTINGER de jure limitum Lib. 2. Cap. 9. per tot.

(o) arg. S. II. I. de L. Aquil. & S. I. I. si quadr. paup. fec. dic. OETTINGER l. c. no. 12.

S. XX.IV.

Tandem de modo elidendi aut destruendi potius huius actionis fundamentum, quadam proferre licet. Sed hic non una DDrum hac de re opinio est. Sunt enim qui huic actioni longissimo tempore, a momento scientiæ confusionis factæ, præscribi contendunt (p), & horum est maximus numerus: alii vero longitatem temporis præscriptionem sufficientem esse putant (q).

(p)

(μ) SICHARDVS in L. fin. C. h. t.

(ν) OETTINGER de jur. limit. lib. 2. Cap. 8. no. 25. seq. & hic fundamen-
damentum in L. pen. C. h. t. posuisse videretur.

S. XXV.

MVTHAT
 Sed aridet mihi eorum sententia, qui ad præscribendam
 hanc actionem, *longissimum tempus* requirunt, siquidem haec actio
 non solum in rem, sed & in personam sit, non potest illa *longi*
 temporis, sicut simplices actiones in rem, præscriptione finiri (ο).
 Quin imo cum hoc judicium in quasi contractu bona fidei nita-
 tur, & indemnificationem ideo admittat, iniquum foret, illud præ-
 cludere præterlapsis 10 aut 20. annis, præterea, quod in contra-
 ctibus bona fidei, tantum *medium* diligentiam, & ideo culpam *le-
 nem* communiter præstamus (π), iniustum foret, negligentiam
 in agendo commissam, tam atrociter puniri.

(ο) L. fin. C. h. t. L. 7. C. de petit. hered. L. 1. §. I. in fin. C.
 de annual. except. nec obstat L. 2. §. 6. de vsuc. vbi: qui *fundum*
emit & *ampliores fines possedit longo tempore*, eos *vsucepisse* censetur,
 quia cum de proprietate partis fundi lis mouetur, recte haec
 perimitur longi temporis spatio, non vero tollitur aetio pro
 terminis ponendis, quia illa per 30. annos durat, SICHARDVS.
 Dissentire quidem videretur in totum Ill. HELLFELD sed hic magis
 loquitur de illo casu, quando a communione recedere velimus,
 vbi præscriptioni locum non esse, vel *cæcūs* periplexerit,

(π) L. 25. §. 7. locati conducti.

Cate-

Cæterum B. L. judicio tuo æquo, hanc submitto traductionem, quam licet forte minus accurate expositam reperias, ut tamen meliori modo interpreteris, meque tuo fauore non plane indignum judices, est quod rogo.

TANTVM.



Erfurt, Diss., 1770-73

f



Sb.

W18



1771.10
A8
DISSERTATIO IN AVGVRALIS IVRIDICA

72.

DE
**FINIVM REGVNDORVM
IVDICIO.**

QVAM
DIVINA FAVENTE GRAD
EX DECRETO ILLVS

SINE
PRO GRAD
IN VTROQUE IVRE
PVBLICO ERVI
IN AUDITORIO IVRID

DIE XIV. OC

SVI

A V
HERMANNVS P.

ERFV

ERFO

TYPIS HENR. RVDOLP

